

intercessore freti, audemus confidenter accedere ad thronum gratiæ, et sperare a Deo indulgentiam, justificationem, sanctificationem, et alia id genus beneficia. Itaque paralogismus Calvinii in eo consistit, quod per fidem accipiat notitiam propriæ justificationis, quam non esse fidem, sed falsam persuasionem in I. lib. copiose probavimus.

Tertium decimum testimonium sumunt ex epist. I. S. Joannis; nam in III. cap. sic legimus: *Scimus, quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres.* Et cap. IV. *In hoc cognovimus, quoniam in ipso manemus, et ipse in nobis, quoniam de Spiritu suo dedit nobis.* Et cap. V. *Scimus quoniam ex Deo sumus.* Et ibidem: *Qui credit in Filium Dei, habet testimonium Dei in se* (1).

Respondeo: Primum, illæ voces, «scimus», et, «cognoscimus», non necessario includunt certitudinem fidei divinæ. Dicimur enim etiam scire et cognoscere, ea quæ ex signis et conjecturis colligimus. Deinde, quamvis B. Joannes in prima persona loquatur, tamen sententiæ illæ generales sunt, non particulares: significant enim, eos translatos esse de morte ad vitam, qui diligunt fratres, et eos in Deo manere, et Deum in ipsis, qui habent in se Spiritum Dei; et denique eos ex Deo esse qui juste et sancte vivunt. Loquitur autem sanctus Joannes in prima persona, quia, bona spe confidebat, se unum ex illis esse, qui diligunt fratres, qui habent Spiritum Dei, et qui sunt ex Deo. Sicut etiam B. Paulus cum loquitur de prædestinatis, fere semper ita loquitur, quasi certus esset, non solum se, sed etiam illos omnes, ad quos scribit, in numero electorum fuisse; quia videlicet, id cupiebat, et sperabat.

Illud autem: *Qui credit in Filium Dei, habet testimonium Dei in se*, non est ad propositum, quoniam non loquitur sanctus Joannes de testimonio nostræ justificationis, sed de testimonio divinitatis Christi. Dixerat enim paulo ante: *Hoc est testimonium Dei, quod majus est, quia testificatus est de Filio suo.* Et mox subjungit: *Qui credit in Filium Dei, habet testimonium Dei in se*, id est, retinet, et conservat, et acceptat testimonium Dei, non de se, sed de Filio Dei in se, qui autem non credit, non recipit hoc testimonium in se, et ideo mendacem facit eum, qui de Filio testificatus est, cum dixit: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.*

(1) Joan. III, 14; ibid. IV, 15; ibid. V, 19; ibid. 10. — (2) II Pet 1, 10. — (3) Eph. I, 4.

Ultimum testimonium sumunt ex illo II Petri 1. *Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis* (2).

Respondeo: Hoc testimonium non adfertur Lutheranis, et merito, quia cum eorum sententia manifeste pugnat. Ipsi enim certitudinem suam priorem operibus esse volunt, non posteriorem. Sed neque Catharum hæc auctoritas juvat. Non enim certitudo, quæ ex operibus nascitur, potest esse certitudo fidei, sed tantum conjecturalis, ut omittam quod Apostolus non tam loquitur de certitudine ex parte subjecti, quam ex parte objecti. Id enim monet, ut per bona opera certam, id est, ratam et firmam vocationem et electionem faciamus. *Nam cum Deus nos elegerit, ut essemus sancti, et immaculati in conspectu ejus in charitate* (3), ad Ephesios I. illi electionem suam confirmant, et certam reddunt, qui sancti et immaculati fieri student, et in charitate magis ac magis, Deo adjuvante, proficiunt.

## CAPUT X.

### *Solvuntur argumenta ex Patribus.*

Ex Patribus multa testimonia Catharinus adducit, quædam etiam hæretici, et Kemnitius, et Calvinus.

Primus est Dionysius Areopagita, in libro de divinis nominibus, cap. 7. prope finem, qui sic ait: «Novit penitus is, qui veritati conjunctus est, quam bene se habeat, etiam si plures illum corripiant, quasi amentem».

Respondeo: Fallitur Catharinus, existimans, loqui Dionysium de certitudine propriæ justitiæ, cum ipse loquatur de certitudine Christianæ religionis, quæ stultitia eo tempore Gentilibus esse videbatur. Itaque sententia Dionysii est, pios Christianos omnino scire, et certos esse, quam bonum sit in Christiana religione vivere, quamvis propterea, ut stulti a mundi sapientibus arguantur. Et subjungit paulo post, sanctos martyres huic ipsi veritati quotidie libenter etiam cum vitæ periculo testimonium dare. Certe autem sancti Martyres non pro sua justificatione, sed pro Christi divinitate mortem oppetebant.

Secundus est S. Basilius, qui in quæstionibus breviter explicatis, quæst. 12. et 296.

quærit: «Quomodo certificatur anima, quod Deus dimiserit ei peccata?» Et respondet: «Si contemplabitur ipsum in affectu ejus, qui dixit, injustitiam odio habui, et abominatus sum».

Respondeo: Loquitur Basilius de certitudine conjecturali, quæ satis est ad animæ tranquillitatem. Alioquin enim certitudinem fidei divinæ non potest gignere quivis affectus, et odium contra peccata, nisi Deus revelare dignetur, affectum illum et odium esse purum et sincerum, atque ex vera Dei charitate, non ex solo pœnæ timore procedere.

Tertius est sanctus Gregorius Nazianzenus, cujus testimonium adducit Kemnitius ex oratione de plaga grandinis: «Quis scit, inquit, numquid convertatur, et pœniteat, et relinquat post se benedictionem? Atqui manifeste hoc scio. Ego divinæ clementiæ sum fidejussor. Nam iram, quæ præter naturam ipsius est, remittet, et ad misericordiam, quæ secundum naturam ejus est, convertetur.»

Respondeo: Valde acutus est Kemnitius, qui videt argumenta etiam ubi non sunt. Quid enim hoc testimonium facit ad rem? affirmat vero Gregorius, se manifeste scire, Deum esse clementem, et nullis vere pœnitentibus indulgentiam denegare. Et verba illa prophetica: *Quis scit si convertatur etc.*, non falsa esse contendit, sed exponit, docens, dubitationem illam non pertinere ad ipsum Deum, quasi is non velit pœnitentibus veniam dare. Nusquam autem Gregorius dicit, se manifeste scire, omnes qui videntur pœnitentiam agere, ex animo illam agere, neque se fidejussorem nostræ pœnitentiæ, quam perfecte scire non poterat, sed divinæ clementiæ, cujus ex divinis litteris certissimus erat, offerre non dubitat.

Quartus est S. Joannes Chrysostomus, cujus illa verba Catharinus profert ex homil. 14. in epist. ad Roman. «Quando vero spiritus testatur, quænam relinquatur ambiguitas?» Et infra: «Suprema illa essentia, quæ et hoc ipsum largitur, quod promittit, atque adeo orare etiam jussit, testimonium perhibente, quisnam de dignitate hac deinceps dubitare audebit?»

Respondeo: S. Joannes Chrysostomus explicat verba B. Pauli de testimonio, quod Spiritus sanctus perhibet, dum efficit in nobis, ut clamemus «Abba Pater». Ex quo testimonio certissime colligitur, eos qui vere, et ex corde dicunt, «Abba Pater», esse filios Dei. Nam ista vox est a Spiritu sancto, qui

nulla ratione falli potest. At non dicit Chrysostomus, omnes qui dicunt, «Abba Pater», ex corde, et sicut oportet, illud dicere; ac per hoc non affirmat Chrysostomus omnes qui dicunt, «Abba Pater», hoc dicere, impulsos a Spiritu sancto, et proinde esse filios Dei. Itaque Chrysostomi sententia conditionata est, non absoluta; generalis, non particularis.

Quintus est S. Cyrillus lib. x. in Joan. cap. III. qui sic ait: «Cum non recte a discipulo verba sua intellecta Christus videret, repetit rursus quod dixit, dilucideque docet, non solum cognitione ista communi, amicis se suis manifestaturum, sed excellentiori quodam fulgoris modo. Nam rudiores ab impio idolorum cultu ad cognitionem Dei vocati, solummodo per fidem discunt, quod unus Deus, qui nos creavit, colendus est. Qui vero omni virtute mentem suam purgando apti jam ad majora facti sunt, Spiritus illuminatione recepta, oculis animi habitantem in se Deum videbunt.»

Respondeo: Nulla est in hoc difficultas. Nam loqui videtur S. Cyrillus de notitia beata, quæ obtinebitur post banc vitam, ut ex cap. 1. et 2. intelligi potest. Proinde non distinguit rudiores a perfectioribus, id est, alios ab aliis in hac vita; sed eosdem ipsos rudiores in hac vita a se ipsis perfectioribus in alia. Deinde, si loqueretur de notitia solius hujus vitæ, diceremus, eum non prædicare certitudinem fidei, sed notitiam majorem, quam vulgus habere consueverit.

Jam vero ex Latinis primus, quem adducunt, sanctus Cyprianus est. Cujus auctoris duo loca profert Catharinus, unum Kemnitius. Primus locus est in libro adversus Demetrianum, ubi sic legimus: «Viget apud nos spei robur, et firmitas fidei, et inter ipsas sæculi labentes ruinas erecta mens, et immobilis virtus, et de Deo suo semper anima secunda».

Secundus locus est in sermone de cœna Domini, ubi Cyprianus dicit animam fidelem in perceptione Eucharistiæ mirabiliter affici, dum videt, quod Deus condonet, et quid etiam donet. Et addit: «se donatam et sanctificatam agnoscens, fletibus se abluit, et lacrymis se baptizat».

Tertius locus est in lib. de mortalitate, ubi hæc habentur verba: «Quis hic anxietatis, et sollicitudinis locus est? quis inter hæc trepidus, et mœstus est, nisi cui spes et fides deest? ejus enim est mortem timere, qui ad

Christum transire nolit. Ejus est ad Christum nolle ire, qui se non credit cum Christo incipere regnare. Scriptum est enim: Justus ex fide vivit; si justus es, et fide vivis; si vero in Deum credis, cur non cum Christo futurus, et de Domini pollicitatione securus, quod ad Christum voceris, amplecteris? » Item ibidem: « Deus tibi de mundo recedenti immortalitatem pollicetur, et tu dubitas? hoc est, Deum omnino non nosse, hoc est, Christum credentium Magistrum peccato incredulitatis offendere, hoc est, in Ecclesia constitutum, fidem in domo fidei non habere ».

Respondeo: primum testimonium omnino gratis adducitur. Fatemur enim apud omnes pios vigere spei robur, et fidei firmitatem, et animam de Deo suo semper esse securam. Sed negamus, inde sequi, ut certi sint certitudine fidei, de sua justitia; ut enim securi de Deo vivamus, satis est, si certi simus, Deum fidelem esse in omnibus verbis suis et non deserere suos, nisi prius ipse deseratur ab illis.

Alterum quoque testimonium non docet agnitionem certam certitudine fidei, sed experimentalem, et conjecturalem, quæ non ex testimonio, id est, ex verbo aliquo Dei, sed ex infusa divinitus lætitia, et suavitate oritur.

Tertium testimonium pugnat adversus eos, qui de promissionibus Dei dubitant, id est, qui non satis firmiter credunt, parata esse gaudia sempiterna diligentibus Deum, et spem talem non gerunt, qualis requiritur, et ideo nimis anxie mortem timent, et fugiunt. Nos autem non negamus, oportere fidem certissimam, quæ dubitationem prorsus excludat, haberi de divinis promissionibus, et spem etiam talem, ac tantam, quæ desiderium moriendi pariat, quamvis ea spes cum timore conjuncta esse debeat propter incertitudinem dispositionis nostræ, ut hoc modo serviamus Domino in timore, et exultemus ei cum tremore.

Reprehenendi autem a S. Cypriano trepidationem natam ex incredulitate, perspicuum est tum ex verbis citatis, tum etiam clarius ex verbis interjectis inter duo testimonia allegata. Sic enim loquitur Cyprianus: « Hoc autem fit, fratres dilectissimi, quia fides deest, quia nemo credit futura esse, quæ promittit Deus. Si tibi vir gravis, et laudabilis aliquid polliceretur, haberes utique pollicenti fidem; nunc Deus tecum loquitur, et tu mente incredula perfidus fluctuas? »

At inquiet Kemnitius, « hoc est, quod nos dicimus, divinæ promissioni fidem esse habendam etiam in particulari, ut ad nos pertinet, et per hoc nihil esse dubitandum de remissione peccatorum, vel æterna salute. Respondeo: Divinæ promissioni etiam in particulari fides habenda est, quantum pertinet ad veritatem promittentis. Et hoc dicit S. Cyprianus et probat similitudine allata gravis alicujus et laudabilis viri.

Cæterum ex parte dispositionis nostræ, sine qua non justificamur, potest locum habere formido. Promissio enim remissionis peccatorum, et salutis, non est absoluta, ut Kemnitius somniat, sed conditionata, et ab operibus pendet, ut sanctus ipse Cyprianus multis in locis docet, ac præsertim in ser. 5. de lapsis, ubi inter alia sic loquitur: « Putas, inquit, tu Dominum cito posse placari? putas eum facile misereri tui? orare oportet impensius, et rogare; diem luctu transigere, vigiliis noctes, et fletibus ducere; tempus omne lacrymosis lamentationibus occupare; stratos solo adhærere cineri, in cilicio, et sordibus volutari etc. »

Ergo cum ipse idem Kemnitius affirmet, Catholicos ideo docere incertitudinem justificationis, quia existimant, eam pendere a conditione operum penitentiae: quamvis non dubitent de promissionibus ex parte Dei; cogetur omnino, nisi secum pugnare velit, concedere S. Cyprianum non docuisse certitudinem fidei habendam de remissione peccatorum absolute, sed tantum ex parte Dei, cum tam aperte idem Cyprianus doceat, justificationem ab operum penitentiae conditione pendere.

Secundus ex Latinis, quem adducit Kemnitius, est S. Hilarius, cujus hæc verba citat ex comment. in cap. v. Matth. « Regnum cælorum, quod Dominus in se esse positum est professus, vult sine aliqua incertæ voluntatis ambiguitate sperari. Alioqui justificatio ex fide nulla est, si fides ipsa fiat ambigua ».

Respondeo: hoc testimonium verissimum est, sed ad rem propositam nihil pertinet. Non enim loquitur S. Hilarius de fide propriæ justificationis, quasi unusquisque sine ambiguitate credere debeat, sibi remissa esse peccata; sed de fide resurrectionis corporum, quæ nisi certissima sit, ita ut omnem dubitationem excludat, spes quoque nulla esse poterit. Quomodo autem justificabitur ex fide, qui fidem verbo Dei resurrectionem futuram protestanti non habet? aut quomodo regnum

Dei consequetur, qui illud venturum esse non sperat?

Loqui vero sanctum Hilarium de fide dogmatica resurrectionis, intelliget quicumque locum illum allegatum consulere voluerit. Dixerat enim paulo ante, quosdam ob præsentium delectionem, et futurorum desperationem fieri negligentem. Ac deinde in sequentibus explicaverat, desperationem futurorum inde nasci, quod nonnulli adduci non possunt, ut credant, corpora mortuorum esse resurrectura. Inde postea subjunxit, regnum cælorum sine ambiguitate sperandum, et quia spes oritur ex fide, addiderat, justificationem nullam futuram, si fides ipsa sit ambigua.

Tertius est S. Ambrosius, cujus duo testimonia profert Catharinus. Unum ex lib. v. de Sacramentis, cap. 2. ubi dicit animam post Baptismum susceptum, videre se a peccatis esse mundatam. Alterum ex serm. 5, ubi sic loquitur Ambrosius: « Quisquis illi fermento Christi adhaerescit, efficitur et ipse fermentum, tam sibi utilis, quam idoneus universis, et de sua certus salute, et de aliorum acquisitione securus ».

Respondeo: in priore loco docet Ambrosius, animam videre se ipsam esse mundatam, quoniam ita sibi persuadet, tum ex certa fide virtutis Baptismi, tum ex bona spe: quam de sua dispositione gerit. In eo vero fallitur Catharinus quod ubicumque legit, « videre, scire, cognoscere », et similia verba, continuo interpretatur de notitia fidei divinæ: cum tamen ea verba multis aliis modis accipi queant, et soleant.

In posteriore loco loquitur de certitudine conditionali, non absoluta, ut sensus sit, eum qui adhæret Christo, certum esse de sua salute, et de aliorum acquisitione, si Christo vere adhæreat, et in illo permaneat: quomodo loquitur Apostolus cum Timotheo scribit: *Hæc faciens, et te ipsum salvum facies, et eos qui te audiunt* (1). Non loqui autem Ambrosium de certitudine absoluta, perspicuum est, quia non solum dicit, hominem fore certum de sua salute, sed etiam affirmat, eum fore securum de aliorum acquisitione. At ne Catharinus quidem dixerit, hominem justum certitudine fidei divinæ, absolute esse de aliorum acquisitione securum.

Quartus est S. Hieronymus, cujus testimonium adfertur ex comment. ad cap. vi. ad

Galat. tractans enim Hieronymus illa verba: *Vos qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans te ipsum ne et tu teneris* (2); objicit ipse sibi: « Ego justus, qui de sua certus est mente, qui scit se non posse labi, non debet instruere peccatorem in spiritu lenitatis ». Admittit igitur Hieronymus, aliquos esse ita perfectos, ut certo sciant, se non posse labi.

Respondeo: non negamus esse quosdam, qui ex multis victoriis contra aliqua vitia probabilem certitudinem perseverantiæ sint adepti. Nam qui ad senectutem virgines pervenerunt, quod exemplum Hieronymus, adfert, non immerito certi, ac securi dici possunt de sua continentia. Non enim probabile est, vinci posse in senectute qui in adolescentia carnis petulantiam adeo gloriose vicerunt.

Nihil autem pugnat hoc testimonium contra sententiam nostram, tum quia sanctus Hieronymus loquitur de certitudine in aliquo certo genere virtutis, non absolute de justificatione; tum quia non loquitur de certitudine fidei, cui falsum subesse non potest, sed de certitudine conjecturali, atque humana.

Quintus est sanctus Augustinus, cujus unum testimonium profert Calvinus, duo Kemnitius, multa Catharinus.

Primum igitur locus est in tractatu super Psalm. LXXXVIII. « Hoc dixit Deus, hoc promisit Deus, si parum est, hoc juravit. Quia ergo non secundum opera nostra, sed secundum illius misericordiam firma est promissio, nemo debet cum trepidatione prædicare, de quo non potest dubitare ».

Respondeo: est argumentum hoc in specie magnum, in rei veritate nullum. Nam non loquitur S. Augustinus de verbo, aut juramento Dei, quod iste, aut ille sit justus, sed quod Christus sit perpetuo regnaturus in Ecclesia. Explicans enim versiculum illum: *juravi David servo meo, usque in æternum præparabo semen tuum*; ait: « In æternum regnabit Christus in sanctis suis, hoc dixit Deus, hoc promisit, Deus etc ». Et quis credent sanctum Augustinum dicturum fuisse, Nemo debet cum trepidatione prædicare, si de prædicatione propriæ justitiæ loqueretur? an non fuisset hoc ad jactantiam homines exhortari? igitur de regno Christi perpetuo cujus absoluta est promissio nec ullo modo pendens ab operibus nostris, nemo debet cum trepida-

(1) I Tim. IV, 16. — (2) Gal. VI, 1.